



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

5. Firmitas Parietis-Spei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

inclinatum vident, irruunt, ut totus concidat: dum minatur ruinam Paries, hostibus est opportunum, ut ad terram deiciant: & sanè facile sine magno impulsu ruat. Quare frequens est similitudo apud Poëtas, à pariete, qui ubi facit inclinari, facillimè corruit.

Cùm coepit quassata Domus subsidere, partes

In proclinas omne recumbit opus.

canebat quidam.

A R T I C V L V S V.

FIRMITAS

Parietis Spei.

DEBET Spei Paries esse firmus. Qui sperat in Domino, eiusque auxilio non debet nutare, non vacillare, non moveri in hanc illamve partem, denique, non debet diffidere. Sperantem in Domino exclamare oportet cum Jobo: (a) *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Et cum Davide: (b) *si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat aduersum me praelium, in hoc ego sperabo.* Et cum Paulo Apostolo. Certus sum, quia neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque creatura alia poterit nos separare à Caritate DEI, quae est in Christo IESU (c) Ab hac firmitate laudatur, quis alius credentium Pater Abraham, de quo Apostolus: (d) *Contra Spem in Spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, Non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm jam ferè centum esset annorum, & emortuum vulvam Saræ. In repromissione etiam DEI non hesitavit diffidentia.*

(a) Job XIII. 15. (b) Psal. XXVI. 3. (c) Rom. VIII. 38 (d) Rom. IV. 19.

dentia. Firmitas autem illa oritur, tum ex fundamentali-
bus duobus lapidibus, de quibus actum superius, Pro-
missione DEI & Jurejurando divino, quibus nihil po-
test excogitari firmitus: tum ex Nexu indissolubili lapi-
dum, laterum, & æris Parietis ejusdem, de quo modo
inquirendum est.

ARTICVLVS VI.

NEXVS

Æris, Lapidum, Laterum

Parietis Spei.

TAMETSI in Ædificio *as, lapis, lateres* jungantur,
nihilominus nisi interveniat quidpiam, quod fir-
miter copulet, non constituetur ad tutelam idoneus
Parietis, vel murus. Vulgo autem lapides lateresque cal-
ce nectuntur: olim etiam bitumine jungi solebant. Sed
sumptuosissimi Muri, maximè si fiant ex quadrato lapide,
pro juncturâ habent ferrum aut plumbum: in quibus-
dam, quod in stuporem rapit, *Aurum* fuisse adhibitum
invenio. De ferro plumboque constat ex Templo Sa-
lomonis, in quo maximi lapides parietum ferro fuerunt
colligati. Sic enim scribitur I. Paralipon. XXI. *Ferrum plu-
mum ad clavos januarum, & ad commissuras, atque vinculas
preparavit David.* Quod dicitur, *ad juncturas, & commissu-
ras,* simplici voce in originali exprimitur, quam nonnul-
li, *Catenationem* vertunt, sed revera quamcumque con-
juncturam designat, aut colligationem, qualis fuit lapi-
dum in parietibus; quicum sine ullo medio cæmento
copu-